

tionem doceatur & explicetur. *Præcipua cura*, inquit C. Zieglerus in Superint. c. 11. p. 104, *debet esse ea, ut verbum DEI & Doctrina Evangelica pure & sincere sine omni fuce aut commentis humanis proponatur, nec admisceantur ea, quæ NB, parum ad rem faciunt & colores addunt peregrinos.* Non vero pure docuisse s. docere sufficit, sed explicationi verbi divini puriori etiam applicatio addenda & vita simul corrigenda est. Id enim juxta supra adductam descriptionem requiritur, ut homines illuminentur, convertantur & ad piam vitam excitentur, imo excitati in eadem confirmentur. Dum vivo, nunquam mihi Durrii Verba excident: *Omnia doctrina demta pietate est venenum.* Quapropter concionator omnia, quæ dicto fini quovis modo obesse possunt, summo studio fugere, e contrario eo semper, quo auditores veram doctrinam teneant & scientiam salutarem in usum convertant, eniti debet.

§. V.

Liceat hac occasione animi sensa paulo clarius atque distinctius *tribus* saltem *Thesibus* exprimere, quarum prima hæc est:

Ministerium Ecclesiasticum, quo munus quoque publice docendi & prædicandi spectat, est & manet omnium gravissimum negotium prudenter semper peragendum.

Sola Ministerii definitio cum varia Ministrorum appellatione ad probationem dicti sufficit. Est enim illud Ministerium *Officium sacrum & publicum, divinitus institutum ac certis hominibus - - commendatum, ut - - Verbum Dei doceant, Sacramenta administrent, ac disciplinam Ecclesiasticam conservent ad hominum Conversionem & salutem promovendam, Dei vero Gloriam propagandam.* Quæ verba ut ponderosissima sunt, ita denominationibus Ministrorum oppido respondent.